



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

§. 2. An dissolvi possit Matrimonium quoad vinculum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

2.

§. 2. *An dissolvi possit Matrimonium
quoad vinculum?*

P. I. **A**N olim dissolutum fuerit vinculum Matrimonii per libellum repudii? Ante responsionem

Nota ex S. Aug. L. 19. contra Faustum c. 26. concessum fuisse Judæis dimittere uxores, ut uxori daretur occasio viro se reconciliandi, eamque non dimittendi: siquidem tempore, quo scriebatur libellus repudii, natum erat evenire, ut frangeretur ira mariti, isque interea cogitaret, quid mali esset uxorem dimittere, præsertim cùm Scribæ (quos oportebat accedere, ut libellus repudii scriberetur, eò quod scribi scilicet non posset nisi ab illis) viro suaderent, ut reconciliaretur uxori, eamque non dimitteret. His dictis ad petitionem

Neg. Et constat ex Matt. 19. Ubi cùm Christus dixisset Judæis non licere dimittere uxorem, & hi reposuissent: *Quid ergo Moyses mandavit libellum repudii, & dimittere?* Illicè respondit: *Ad duritiam cordis vestri permisit Moyses vobis dimittere uxores vestras: ubi ly ad duritiam cordis, item permisit, significat dimissionem uxoris non fuisse licitam, sed permissam, velut minus malum ad evitandum majus, id est, ne uxores suas occiderent Judæi, ad quod proni erant.*

2. *An Matrimonium in hac lege dissolvi possit per professionem religiosam?*

¶. Potest matrimonium ratum, non potest dis-
solvi consummatum.

De priori parte constat ex Trid. sess. 24.
Can. 6. Item ex Cap. *Ex parte tua*. Cap. *Vé-
rum*. de conversione conjugorum.

De posteriori constat can. *Agathosa*. causa
27. q. 2. quod Matrimonio consummato, re-
pugnante altera parte, religionem ingredi
non liceat, quodque professio hujusmodi Ma-
trimonium dirimere non valeat.

Ratio congruentiae est, quod Matrimonium
consummatum significet indissolubilem con-
junctionem Christi cum Ecclesia, scilicet per
unitatem naturae, sicut etiam vir & mulier per
copulam juxta Apost. fiunt una caro, ita Chri-
stus per Incarnationem factus est una caro
cum Ecclesia.

3. Quantum temporis conceditur conjugibus,
ut post matrimonium initum ingrediantur
Religionem.

¶. Semper posse ingredi, quando matrimonium
non est consummatum. Statuit tamen Cap.
ex publico de conversione conjugorum, ut
tempore bimestris possint deliberare, ita ut
spatio illius non teneantur reddere debitum,
& eo elapso compellantur reddere, nisi re-
ligionem intraverint.

4. An matrimonio consummato possit uterque
conjux, vel alteruter de consensu compartis
religionem ingredi?

¶. Aff. Et ideo si contingeret, utrumque conveni-
re post professionem, non committeretur adul-

398 TRACT. DE SACRAM. MATRIMONII.

- terium, sed solum peccabitur contra votum.
5. An Matrimonium fidelium nondum consummatum possit dissolvi auctoritate Pontificis?
- R. Probabiliter neg. Quia indissolubilitas Matrimonii est a Deo, ut patet ex Trid. sess. 24. in proæmio: *Quod autem Deus coniunxit, homo non separat.* Matt. 19.
- Nec obstat, quod plurimi Pontifices dispensarent, quia ex hoc capite opposita sententia dumtaxat est probabilis, cum multi Pontifices rogati, dispensare noluerint, credentes se nihil posse.
6. An in nova lege solvatur matrimonium per adulterium?
- R. Neg. Constat ex Flor. in decreto unionis. Ex Trid. sess. 24. can. 7. proinde: *Vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Apost. ad Rom. 7.
7. An solvatur Matrimonium infidelium per conversionem conjugum ad fidem?
- R. 1. Neg. Quandò uterque convertitur, quia per baptismum non solvuntur conjugia, sed dimituntur crimina.
- R. 2. Neque dissolvitur ipso jure, etiamsi unus tantum convertatur: quia juxta Cap. *Gaudemus de divortiis*, infidelis conversus, habens uxorem infidelem, non potest aliam ducere, quamdiu haec vivit, supposito, quod cum eo pacificè velit habitare.
8. Assigna casus, in quibus dissolvitur Matrimonium consummatum ob conversionem conjugis alterius ad fidem.

- ¶. Sunt hi subsequentes : 1. Si conjux infidelis renuat habitare cum conjuge converso : 2. Si nolit cohabitare , nisi cum contumelia Creatoris V. G. impediendo cultum illius , nomen despiciendo , conjugem conversum , aut domesticos à fide avertendo &c.
9. An Matrimonium hujusmodi solvatur eo ipso , quo infidelis renuit cohabitare conjugi converso ?
- ¶. Neg. Sed opus est ut conjux conversus transseat ad secundas nuptias , aliás non debet censeri solutum , sed tantum solubile.
- Nota , quòd priùsquam conjux fidelis transseat ad secundas nuptias , debet admonere infidem , de cuius partinacia non constat.
10. An infidelitas superveniens matrimonio fideliūm reddat illud solubile , quoad vinculum ?
- ¶. Neg. Ita Innoc III. Cap. *Quanto de divortiis.*
Et ratio est , quia matrimonium fideliūm redditur prorsus ratum , & firmum per baptismum , ratione cuius significat indissolubilem conjunctionem Christi cum Ecclesia.

§. 3. ET ULTIMUS.

De dissolutione Matrimonii quoad cohabitationem.

QUÒD conjuges debeant simul cohabitare , est clarum ex natura ipsius conjugii , uti & ex Matt. 19. *Relinquet homo patrem , & matrem , & adhæredit uxori sue.*
Petes assignari aliquos casus , in quibus Matrimonium solvitur quoad cohabitationem ?

¶. I.